

Lateinische Lektüreübung II (Faller)
Wintersemester 2024/25
Text 1

Vox fuit haec regis: „Condenti, Iuppiter, urbem,
et genitor Mavors Vestaque mater, ades!
quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti!
auspicibus vobis hoc mihi surgat opus.
5 longa sit huic aetas dominaeque potentia terrae
sitque sub hac oriens occiduusque dies.“
ille precabatur. tonitru dedit omina laevo
Iuppiter et laevo fulmina missa polo.
augurio laeti iaciunt fundamina cives
10 et novus exiguo tempore murus erat.
hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,
„sint“que, „Celer, curae“ dixerat „ista tuae.
neve quis aut muros aut factam vomere fossam
transeat, audentem talia dede neci!“
15 quod Remus ignorans humiles contemnere muros
coepit et „his populus“ dicere „tutus erit?“
nec mora, transiluit. rutro¹ Celer occupat ausum.
ille premit duram sanguinolentus humum.
haec ubi rex didicit, lacrimas introrsus obortas
20 devorat et clausum pectore volnus habet.
flere palam non volt exempla fortia servat,
„sic“que „meos muros transeat hostis“ ait.
dat tamen exequias. nec iam suspendere fletum
sustinet et pietas dissimulata patet.
25 osculaque adplicuit posito suprema feretro
atque ait „invito frater adempte vale!“
arsurosque artus unxit. fecere, quod ille,
Faustulus et maestas Acca soluta comas.
tum iuvenem nondum facti flevere Quirites.
30 ultima plorato subdita flamma rogo est.
urbs oritur – quis tunc hoc ulli credere posset? –
victorem terris impositura pedem.
cuncta regas et sis magno sub Caesare semper.
saepe etiam pluris nominis huius habe,
35 et quotiens steteris domito sublimis in orbe,
omnia sint umeris inferiora tuis!

¹rutrum, -i: „Spaten“.